

MISSA PRO ANNO SANCTO

Hæc Missa adhiberi potest, cum colore proprio diei vel Temporis, ubi peculiare celebrationes habentur occasione Anni Sancti, exceptis sollemnitatibus, dominicis et festis, diebus Hebdomadæ sanctæ, Tridui sacri, infra octavam Paschæ, feriis Adventus a die 17 ad 24 decembris inclusive, diebus infra octavam Nativitatis, Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum et feria IV Cinerum.

A

Ant. ad introitum

Ps 27 (26), 14

Exspecta Dóminum, viríliter age;
et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum. (T.P. Allelúia.)

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
fervens humáni cordis desidérium,
réspice benígnus pópulum tuum
per hoc grátia tempus peregrinántem,
ut, Christo refúgio salutis suæ coniúctus,
ad beátæ spei finem felíciter adveníre possit.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per omnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Oblatiónes famíliæ tuæ, quæsumus, Dómine,
súscipe miserátus,
ut, sub tuæ protectiόνis auxílio,
et colláta non perdat, et ad æténa dona pervéniat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: Christus, spes unica

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Hoc témpore grátiaë,
fílios tuos in unam famíliam cóngregas,
ut, vitæ Verbo illustráti,
mystérium Fílii tui crucifíxi et resurgéntis
summo gáudio célebrent.

Ipse, salus semper imploráta sempérque exspectáta,
omnes ad mensam suam vocat,
córporis ac spírítus vúlnera sanat,
contristátis lætítiam donat.

Propter hæc ómnia benevoléntiaë tuæ signa,
viva fide ad certiórem spem renáscimur
et nosmetípsos frátribus offérimus efficáci dilectióne,
Dóminum, donec véniat, præstolántes.

Per quem,
cum Angelis et ómnibus Sanctis,
hymnum laudis tibi cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus . . .

Ant. ad communionem

Spírítus Dómini super me;
evangelizáre paupéribus misit me,
et prædicáre annum Dómini accéptum. (T.P. Allelúia.)

Cf. Lk 4, 18. 19

Post communionem

Deus,
qui nos uno pane réficis
et única spe susténtas,
tua nos páriter grátia corróbora,
ut, facti unum in Christo corpus et unus spiritus,
ad glóriam cum ipso resurgámus.
Qui vivit et regnat in sácula sæculórum.

Benedictio sollemnis

Benedícat vobis Dóminus, et custódiat vos.

R. Amen.

Illúminet fáciem suam super vos, et misereátur vestri.

R. Amen.

Convértat vultum suum ad vos, et donet vobis suam pacem.

R. Amen.

**Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.**

R. Amen.

MISSA PRO ANNO SANCTO

Hæc Missa adhiberi potest, cum colore proprio diei vel Temporis, ubi peculiare celebrationes habentur occasione Anni Sancti, exceptis sollemnitatibus, dominicis et festis, diebus Hebdomadæ sanctæ, Tridui sacri, infra octavam Paschæ, feriis Adventus a die 17 ad 24 decembris inclusive, diebus infra octavam Nativitatis, Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum et feria IV Cinerum.

B

Ant. ad introitum

Cf. Ps 90 (89), 1-2

Dómine, refúgium factus es nobis a generatióne et progénie;
a sæculo, et in sæculum tu es. (T.P. Allelúia.)

Collecta

Deus, qui in plenitúdine téporum
Fílium tuum in mundum misísti Salvatórem,
concéde, quæsumus,
ut in hoc sæculo peregrinántes
lux paschális eius mystérii ad te,
únicam spem nostram, ducat.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per omnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Quæ tuis altáribus exhibémus, Dómine,
hunc annum sanctum lætánter celebrántes,
sint tibi múnera accépta,
ut ipsíus æternitátis mereámur esse consórtes,
qui mortalitátem nostram sua mortalitáte curávit,
Iesus Christus, Dóminus noster.
Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

Præfatio: Christus, spes vera

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Qui Fílius tuus, ante sácula génitus,
natus est in témpore de María Vírgine,
et a Spírítu Sancto unctus,
in nómine tuo annum grátia prædicávit:
consolatióne miseris, captívís redemptióne,
toti dénique humáno géneri salutem et pacem.

Ipse enim única est spes vera
quæ ómnium excédens expectatióne,
univérsa sácula irrádiat.

Et ídeo, cum Angelis et Sanctis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicétes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus . . .

Ant. ad communionem

Iuste et pie vivámus in hoc sáculo,
expectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei. (T.P. Allelúia.)

Tit 2, 12-13

Post communionem

Sanctíficet nos, quæsumus, Dómine,
mensa tua participatio, et præsta,
ut, quam Unigénitus tuus in cruce operátus est salutem,
omnes gentes per Ecclésiæ tuæ sacraméntum gratanter accípiant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Oratio super populum

Adesto, Dómine, supplicibus tuis
et spem suam in tua misericórdia collocantes tuere propítius,
ut in sancta conversatióne tibi fidéles permáneant,
et, consequentes sufficiéntiam temporálem,
promissiónis tuæ perficiántur herédes in ætérnum.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Et benedictio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

R. Amen.

MISSA PRO ANNO SANCTO

Hæc Missa adhiberi potest, cum colore proprio diei vel Temporis, ubi peculiare celebrationes habentur occasione Anni Sancti, exceptis sollemnitatibus, dominicis et festis, diebus Hebdomadæ sanctæ, Tridui sacri, infra octavam Paschæ, feriis Adventus a die 17 ad 24 decembris inclusive, diebus infra octavam Nativitatis, Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum et feria IV Cinerum.

C

Ant. ad introitum

Tit 3, 5. 7

Deus salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis
et renovatiónis Spíritus Sancti,
iustificáti grátia ipsíus
herédes simus secúndum spem vitæ æternæ. (T.P. Alleluia.)

Collecta

Deus, qui humano géneri per Fílium Unigénitum
et salutis remédium et vitæ æternæ donum contulísti,
concéde ómnibus in ipso renátis
et velle quæ præcipis et posse,
ut pópulus ad regnum tuum vocátus
sit in fide stábilis, spe gaudens, et in caritate éfficax.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus Sancti, Deus,
per omnia sæcula sæculórum.

Super oblata

Réspice, Dómine, in fáciem Christi tui,
única spes nostra,
qui pro ómnibus redemptiόνem trádedit semetípsum,
ut per eum ab ortu solis usque ad occásum
nomen tuum magnificétur in géntibus,
et una ubique maiestáti tuæ exhibeátur oblátio.
Per Christum Dóminum nostrum.

Præfatio: Christus, Deus et homo, Salvator omnium

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

**Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.**

**In ipso enim promissiónes tuæ véteres adimpléntur,
umbra cedit lúmini,
mundus iam renovátur,
et homo nova fit creatúra.**

**Per oblatiónem sui semel in cruce factam,
fílios tuos, qui erant dispérsi,
vóluit in unum congregáre;
et exaltátus in glória, primogénitus in multis frátribus,
spem ætérni gáudii nobis pandit.**

**Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis,
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:**

Sanctus, Sanctus, Sanctus . . .

Ant. ad communionem

Mt 28, 20

**Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, dicit Dóminus,
usque ad consummationem sæculi. (T.P. Allelúia.)**

Post communionem

**Cælésti pane roboráti, quæsumus, Dómine,
ut, Evangélio vitæ iúgiter adhæréndo,
ferméntum vivíficans
et salutis instruméntum humano efficiámur consórtio.
Per Christum Dóminum nostrum.**

Benedictio sollemnis

**Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum,
custódiat corda vestra et intellegéntias vestras
in sciéntia et caritáte Dei, et Fílii sui,
Dómini nostri Iesu Christi.**

R. Amen.

**Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.**

R. Amen.

MISSA PRO ANNO SANCTO

Tempore vero Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ et Paschæ, pro liturgia Verbi lectiones de feria adhibeantur.

LITURGIA VERBI (Tempus “per annum”)

Lectio I

Is 61, 1-3a. 6a. 8b-9 – *Unxit me Dominus et evangelizare pauperibus misit me, et dare eis oleum gaudii.*
Spiritus Domini Dei super me ... 3 usque ad spiritu maeroris. 6 usque ad dicitur vobis. 8 Dabo opus eorum ...

vel

Rm 5, 5-11 – *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.*
Fratres: Spes non confundit ...

Psalmus responsorius

Ps 89 (88), 21-22. 25 et 27

R. (cf. 2a) Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo.

Alleluia et Versus ante Evangelium

Is 61, 1 (cf. Lc 4, 18)

Spiritus Domini super me;
evangelizare pauperibus misit me.

Evangelium

Lc 4, 16-21 – *Misit me prædicare annum Domini acceptum.*

In illo tempore: Venit Iesus Nazareth ...